



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis  
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

**Gretser, Jacob**

**Ingolstadii, 1611**

XXXIII. De Aedituo furtum faciente.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41527**

*De adituo furtum faciente.*

*Capitum se-  
quentium ti-  
tuli ex Cod.  
Rebdorff: sum-  
ptis sunt.  
\* Tradizione  
Apogr. Bamb.*

\*Vide Gar. lett.  
M.S. Bamb.

Psalms.88.

S. Henricus ap-  
paret furacis  
adituo.  
Dan.13.



Eque hoc negligendum, aut silentio prætereundum videtur, quod antiquitas tradidit, & veridica\* relatione multorum memoriarum cōmendauit. Quidam aditus in Ordine Laico ad custodiā Ecclesiæ deputatus, furtis cœpit consuescere, & in ipsa Ecclesia, quæcunq; poterat, clanculo decrustabat. Sed quemadmodum bonis Dei male vtendo mali, ipsa bona Dei quantum in se est, quodammodo conuertunt, imo peruerunt in malum; ita è contrario summus artifex mala malorum quandoque etiam in bonum conuertit ipsorum. Ut enim ad propositum redeamus, ille prædictus Ecclesiasticæ custodiæ deputatus, cùm iam inolita vitiorum consuetudine ipsam consuetudinem peccandi sibi quasi legem fecisset, misericorditer à Domino visitatus, atq; corruptus est, iuxta illud; Si iniustias meas profanauerint, & mandata mea non custodierint, visitabo in virginibus iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum.

Nocte igitur quadam, dum in ipsa Ecclesia somnum caperet, seruus Dei aspergētu terribilis illi apparuit, qui & asperè inuestus in eum dixit; species decepit te, & concupiscentia subuertit cor tuum. Quare hoc & hoc fecisti? Scito, quia rem iniquam operatus es. Hoc dicto, illum de stratu suo protraxit, & multis verberibus cæsum, cruentatum dereliquit. Hæc quidem somniās pertulit: sed expergesfactus signa plagarum euidentia demonstrauit, & verba verberum argumentis comprobauit. Taliter ab immanni præcipitio retractus, idem ipse postmodum in suo ministerio vsq; ad prouectiorem ætatem in Ecclesia permanis, & in eius correctione multi correcti sunt, glorificantes Deum, qui per seruum suum iam coronatum in cœlis talia operatur adhuc in terris.

CAPVT